



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

200. In quota generatione copulentur fideles.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 287  
tur, arma non ferat, osculum nulli præbeat,  
sacrificium, nisi pro viatico, minimè sumat;  
sex deinde annis ingrediatur quidem domum  
Dei, sed carnibus & vino & sicera minimè  
utatur, nisi festis diebus. De armis verò vel  
osculo sive sacrificio, sicut suprà dictum est.  
Postea verò duobus annis, quando carne ves-  
citur, à potu omni qui inebriare potest se con-  
tineat; & si potum biberit, minimè carne ves-  
catur, absque præcipuis festis diebus. De ar-  
mis vel osculo & sacrificio modum teneat jam  
dictum, Inde usque ad obitum suum, nisi præ-  
dictis festis diebus, à carne se abstineat tres le-  
gitimas ferias in omni hebdomada, & tres  
quadragesimas in anno legitimè custodiat. De  
armis verò ut suprà dictum est. Et nunquam  
aliquando conjugio copuletur. Hæc eadē  
pœnitentia imponenda est patricidis vel fratri-  
cidis vel consanguineis, necnon & qui sponte  
per fraudem & avaritiam hominem innoxium  
occidunt, quod morchidum vocant.

In quota generatione copulentur fideles.

*Ex epistola Rabani ad Humbertum  
Episcopum.*

CC. Igitur de nuptiis, vel quomodo con-  
sanguinitas honoranda sit, Dominus loquitur  
in Levitico dicens: *Omnis homo ad proximam  
sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudi-  
nem ejus.* Cùm enim Dominus populum suum  
de contaminationibus gentium voluisse separare,  
primum generali vocabulo ad proximi-  
tatem sanguinis prohibuit quemquam accede-  
re, ne revelaret turpitudinem ejus; deinde ip-

To. vi. oper.  
Rhab. pag.  
165.  
Levit. 18.

sam generalitatem ferme in duodecim species subdivisit; quæ tamen ultra tertiam vel quartam generationem non procedunt. Unde accedit, ut reor, Domnum Gregorium Augustino

Vide infrā in interroganti tertia vel quarta generatione  
1. append. c. 30.

jam licetē coniubia jungere respondisse. Similiter & in Theodori Archiepiscopi gentis Anglorum Capitulis, quæ de necessariis conscrip-

Vide tom. 9. Spicilegij Dacheriani pag. 53. c. 13. & pag. 61. c. 112.

tit rebus, invenimus quod in tertia propinquitate carnis secundum Græcos liceat nubere, in quinta secundum Romanos. Qui tamen conjugia in tertia propinquitate facta non solverent, si antea ab inscientibus compacta fuissent, æqualiterque conjungeretur vir in matrimonio his qui sibi consanguinei sunt, & uxoris suæ consanguineis post mortem uxoris. Hunc autem Theodorum Tharso Ciliciæ natum Vitellianus Papa Romæ Episcopum ordinans, ad Britanniam misit. unde tam orientalium quam etiam occidentalium Ecclesiarum consuetudinibus pleniter instructus fuerat. Nec eum aliqua latere potuerunt quæ in observationibus legitimis Græci vel Romani e tempore habuerunt, maximè cum in utraque lingua perfectè instructis esset. Quod autem proximis temporibus Romanorum Pontificum scripta continent usque ad sextam vel septimam generationem conjugij usum differendum, magis ex consuetudine humana quam ex lege divina hoc eos præcepisse credendum est. Nam quod Isidorus in Etymologiis suis usque ad sextam generationem consanguinitatis abstinendum & sic legitimo coniubio conjungendum afferuit, inde reor eum fecisse.

fecisse, quod genealogiae seriem retexens, quo-  
usque ordinem numerandi perduxit, eo cog-  
nationem sanguinis servandam aestimavit;  
sicque ad innovationem generis & amicitiae  
jus confirmandum redire ad connubium sanc-  
vit, quando jam cognitionis ordo numerari  
desit. Ceterum ante omnia considerandum  
est ut sic censura disciplinæ temperetur, ne per  
immoderationem correptionis peccati cumu-  
lus augeatur. Scimus enim quod qui in lege  
cognitionis jus observare constituit, in evan-  
gelio fœdus conjugij non dissolvendum præ-  
cepit. Si enim ubicunque aliquid proximitatis  
vel consanguinitatis, licet longinquæ, inter  
conjugatos inveniri potest, statim matrimo-  
nium dissolvatur, vereor quod adulterium &  
fornicationis scelus multiplicetur: quia cum  
conjugato adolescentulo vel juveni societas  
comparis suæ denegatur, nec aliquid ei solatij  
impeditur unde continentiam salvare possit,  
libidine inflammatus per diaboli instigationem  
multiplici fornicatione forsitan polluitur, ac  
sic in præcipitum mortis æternæ anima de-  
mergatur. Igitur quia à mea parvitate volui-  
sti, quid sentirem de hac re, tibi rescribi, prop-  
ter fragilitatem præsentis temporis reor hoc  
quod Theodorus Episcopus inter Gregorium  
& Isidorum medius incedens in suis capitulis  
diffinivit magis sequendum, ut quinta genera-  
tione jam licitum connubium fiat: quia non  
lex divina huic contradicit, nec etiam sancto-  
rum patrum dicta hoc prohibent. Si autem &  
in quinta ab insciis fuerit copula peracta, me-  
lius mihi videtur ut cum penitentiæ humilia-

T

290 R E G I N O N I S L I B . II.  
tione , si se uxoratus continere non vult , Deo  
satisfaciat.

De eadem re. *Gregorius ad Augustinum.*

Apud Bedam  
lib. i. hist.  
Angl. c. 27.  
§. 6.

CC. I. Necesse est ut etiam tertia vel quarta  
generatio fidelium licenter sibi jungi debeat.  
Nam à secunda quam prædiximus se omnino  
debet abstinere.

De eadem re. *Ex epistola Rabani ad Regi-  
baldum Chorepiscopum.*

Levit. 20.

Hebre. 10.

CC. II. De eo quod interrogasti , si pater  
& filius , vel si duo fratres , vel si avunculus &  
nepos , cum una muliere fornicati sint , quid  
inde faciendum sit , manifestum est quod gra-  
vi vindicta plectendum est quod grave facimus  
esse reperitur. Omnis enim mœchia interdic-  
tur ubi scriptum est : *Non mœchaberis.* Quan-  
to magis cum cognata vel cum conjugi seu  
concubina cognati. Hinc in Levitico scriptum  
est : *Si mœchatus fuerit quis cum uxore alterius ,  
morte moriantur & mœchus & adultera. Qui  
dormierit cum noverca sua , vel cum nuru sua ,  
& qui filiam & matrem duxerit , & qui ac-  
perit sororem suam , morte moriatur.* Si enim in  
lege turpitudinem incestus mortis sententia  
vindicare jussit , quomodo in evangelio , ubi  
summa justitia est , incestuosus pœnitentiam  
peccati evadet ? Unde Apostolus : *Irritam qui  
fecerit legem Moysi , sine ulla miseratione sub  
duobus vel tribus testibus moritur.* Quanto ma-  
gis putatis deteriora mereri supplicia qui filium  
Dei conculcaverit , & sanguinem testamenti pol-  
lutum duxerit , in quo sanctificatus est , & spiri-